

rum, que mulier moratur ibidem. Et dicit, quod in toto decanatu maior fornicator non reputatur.

Item dicit, quod a festo sancti Wenceslai [28. IX.] non vidit Nyetham, de qua supra, in dote plebani sui<sup>c)</sup>.

Pesko dictus Zbadanecz<sup>d)</sup>, parrochianus in Horziessowicz, cliens, iuratus et interrogatus dicit, ut audivit, quod plebanus suus habet in domo sua filium magnum, quem genuit ex quadam muliere tempore, quo fuit in Rzebrik.

Item dicit, quod anno de presenti plebanus de Wynarzecz et plebanus de Horziessowicz iniverant litem in Slana propter quandam mulierem, et dicit, quod plebanus de Winarzecz exiverat<sup>e)</sup> super plebanum de Horziessowicz extra civitatem ad bellandum, ut audivit.

Dominus Swyecz sive Zwiest, dictus Craff, plebanus ibidem a XI annis, veniens in Perucz, interrogatus dicit, quod Petrus laicus ibidem contraxit cum Vitka muliere et ipsam congnovit, et non sunt proclamati, nec copulati.

Item dicit, quod anno preterito habuit ancillam Nyetham, quam coniavit et ante festum sancti Wenceslai anni presentis fuit terminus dictae recedendi, quam alienavit data sibi mercede sua, que tamen recessit impregnata, et ibidem in villa genuit puerum<sup>f)</sup> nomine, cui puer non est annus; que est nutrix circa dominum Swinkam de Bisan, que ante duas septimanas fuit in domo ipsius in legacione ex parte domine sue predice.

Item dicit, quod ipse la[n]guens venit ad dominum Gallum, medicum, in apathekam Pragam pro consilio capiendo, qui dixit sibi, quod infirmatur propter nimiam abstinenciam, qui tunc sic consultus, coniacet mulieres.

Ibidem promisit ad manus domini archidiaconi et mei notarii, quod ipse nunquam dictam Nyetham vel aliam habebit concubinam, nec ipsam ad domum suam intrare permittet, nec bibet, nec comedet cum ipsa et amplius erit castatus, sub pena sex sexagenarum pro archidiacono et fabrica<sup>g)</sup> solvendarum et pena carcerum ad duos menses, presentibus decano loci Paulo et Zawissio, plebano in Perucz, testibus.

Eccl. in Chlumczan: a) *Supra del.* Petrum scr. — b) *Postea suprascr.* — c) Seq. et dicit, quod in toto decanatu maior for[nicator] del. — d) *Etiam legi Zbadaveczi potest.* — e) *Praeced.* invitaverat del. — f) *Spatium reservatum non suppl.* — g) *Praeced. duo verba suprascr.*

Ecclesia in Pocziedielicz, die supra, hora nona.

f. 64 r

Dominus Protiva, plebanus ibidem in tercio anno, interrogatus per iuramentum dicit, prout audivit, quod Krystina, uxor Stuponis procuratoris in curia domini Sezeme adulteratur cum aliis.